

THEOLOGUS
ACADEMICIS PRAECEPTIONIBUS INSTITUTUS,

A LIC. JOANNE VAZQUEZIO,
PETRI EMMANUELIS PRIETI,
THEOLOGIAE DOCTORIS,

PRIMARIIQUE PROFESSORIS
AUXILIO,

CALENDIS OCTOBRIBUS AN. cIↄIↄcc xcI.
ANNIVERSARIIS CONCERTATIONIBUS
DEFENDENDUS.

17



HISPALI:
Apud Emmanuelem Nicolaum Vazquezium, et Franciscum Antonium Hidalgum. An. 1791

Stude sapientiae, fili mi; et laetifica cor meum: ut possis exprobranti respondere sermonem. Prov. c. XXVII. ℣. 11. (Vulg. Edit.)

Chachám, béni, vescammách libbi:
veaschivah chorphi davár:

Hebr. Cod.

ACADEMIAE RECTOR,

VIRO CLARISSIMO,

BENEDICTO RAYMUNDO

DE HERMIDA,

REGIS A CONSILIIS,

ATQUE FORI REGII HISPALENSIS

PRAESIDI NOBILISSIMO.

SAPIENTER Princeps ille ingenii, et doctrinae Plato non civitates solùm, sed et respublicas omni fortunâ beatas fore praedixit, cùm à doctis, et sapientibus viris eae regi caepissent; aut cùm earum Rectores omni studio, et diligentiâ doctrinae, et sapientiae consecrarentur. Et sanè Spartae civitas, cùm antea legibus, et moribus perdita, et nullius ferè nominis fuisset; ad id tamen felicitatis, et gloriae, sapientissimo Lycurgo eam REGENTE, pervenisse visa est; ut ad quingentesimum usque annum à cuncta Graecia, et à totius fermè orbis civitatibus quasi religionis, disciplinae, et morum Magistra nimio opere observaretur. At quorsum haec tam longinqua commemorare? cùm ipsa haec civitas, et Provincia Baetica nunc tuo, hujus Fori Praeses Illustrissime, ductu, et auspicio sapientissimo, et diligentissimo, et integerrimo ad amplissimam, quam numquam antea aut vidimus, aut audivimus felicita-

tem

tem evecta, ejus rei exemplum nobis exhibeat luculentissimum. In Te enim scientiam, virtutem, auctoritatem, doctrinam cum virtute, suavitatem cum scientia, prudentiam cum auctoritate sic omnes animadvertunt, ut harum virtutum utra utri praestet, ignoremus. Illud autem certò scimus, Te eum Heroa esse, quem omnes sententiis profundum, verae, et solidae prudentiae regulis maximum, causis, et litibus implicatissimis etiam, et gravissimis expediendis celerrimum, scientiarumque omnium, quae nedum sapientissimum Fori Rectorem, sed et politissimum reipublicae gubèrnatorem constituunt, cognitione magnopere eminentem, jure, et merito suspiciunt, reverentur, admirantur.

Et certè quidem ista tuae animae singularis excellentia, ista ingenii vis, atque praestantia, ista eloquentiae suavitas, ista dicendi ratio, quam Tu et à natura, et ab studio acceptam tuis in sermonibus, et scriptis sapienter ostendis, ista cùm juris, & legum, tùm Matheseos, et historiae vel profanae, vel Sacrae, et Philologiae subtilissima, et tibi maximè jucunda scientia, et cognitio, ista admiranda auctoritas humanitati admixta, quácum et altum tui ministerii fastigium honestissimè tueris, et omnium amorem, et venerationem tibi devincis, ista pietas, et Religionis cura, argumento sunt clarissimo, Divinam Providentiam Te rebus maximis, et admodùm difficilibus destinasse. Ecquis enim ille est, qui non videat numquam sanè potuisse Te aut rerum multitudine opprimi, aut negotiorum varietate confundi, aut agendorum magnitudine superari?

Haec ego omnia mecum ipse animo cogitans, et Te etiam hujus Regiae Academiae amantissimum Conservatorem considerans, justissimas esse causas duxi, quare hoc opus cultiori stylo elaboratum, ac ingenti sapientiâ elucubratum, solidâ, maximâ, et omni eruditione perfussum, à me tibi re verâ Sapienti, et valde erudito lubentissimè addiceretur. In qua

re

re quidem nihil aliud fecimus, quàm nostri animi, erga Te bene affecti, desideriis morem gerere; quibus nos vehementer adducti fateri non dedignamur, nullam Academiae nostrae ex omnibus occasionibus, (erunt profectò multae) optabiliorem fore, nullam splendidiorem, nullam antiquiorem, aut majori dignam laude futuram, quàm quae nostram omnem industriam, nostra ad Te celebrandum studia convertet. Quare Deum O. M. precamur, ut Te, innumeris suae gratiae donis abunde cumulatum, et superioris fortunae bonis, et honoribus (de quibus optimè es meritus) refertum, nostri Potentisimi, et Religiosissimi Caroli Forensibus judiciis, et pauperum, et divitum solatio, et rectissimae justitiae administrationi, et Artium, et Religionis, et hujus Regiae Academiae augmento, et conservationi, quàm diutissime possit, immortalem conservet.

Tibi obsequentissimus,
Regiae Academiae
Rector, et Cancellarius,



D. D. Antonius
de Vargas.

THEOLOGUS
ACADEMICIS PRAECEPTIONIBUS INSTITUTUS.

PRAEFATIO.

,, DICI non potest, dilectissime fili Laurenti, ,, quantum tua eruditione delecter; quámque te cupiam esse sapientem: non ex ,, eorum numero, de quibus dicitur, ,, *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor* ,, *hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus* ,, *mundi?* (*a*) Sed ex eorum, de quibus scriptum est: ,, *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* (*b*)

Liceat enim mihi, cùm sententiis, quoad ejus conjici potest, Academicis, tùm praeterea Regio planè Consulto, (*c*) vestro Theologiae praeceptori, juvenes, designato, verbis iisdem affari nunc vos et cunctos, et singulos; quibus suum affatus est olím Laurentium ille *Vir sanctus, et eloquens*, (*d*) *Domini tuba*, (*e*) *Pater Patrum, Doctor Doctorum, ad quem*, B. subdit Possidius, vel Possidonius, Calamensis Episcopus, *laudandum sufficiens adhuc non essem, si cuncta corporis membra verterentur in linguas*: (*f*) eloquentiâ, inquam, magnus, sapientiâ major, sanctitate maximus, rei demum Theologicae tractatione praecipuus, Aurelius videlicet Augustinus. (*g*) Neque enim minor, puto, est, quàm de illius eruditione discipuli tanto fuit, ac tali Magistro, de vestra mihi, quamquam hominum minimo, ratio lae-

(*a*) 1. *Cor.* c. 1. v. 20.
(*b*) *Sap.* c. 6. v. 26.
(*c*) *Die* XXII. *Decemb. an.* 1790.
(*d*) *Hieron.* lib. 3. *Dialog. adv. Pelag.* c. 6.
(*e*) *Paulin Epist.* 31. *ad Romanian.*
(*f*) *Epis. ad Macedonium.*
(*g*) *Enchirid.* c. 1.

laetandi: et eò certè magis vos sapientes esse, *non simulatâ, terrenâ, animali, diabolicâ, desursum neutiquam descendente, sed pudicâ, pacificâ, modestâ, suadibili, bonis consentiente, plenâ misericordiâ, et bonis fructibus*, sapientiâ (*a*) cupiendum est, atque optandum; quò magis haec vobis sapientia ipsa caelestis, quae *à Verbo Dei in excelsis, ejusdem fonte*, derivatur, (*b*) est utilis, necessaria, peculiaris. Fuerit sanè Laurentius, si cui fortè placebit, Romae Notarius; quin etiam Notariorum, ut recentiores praeferunt codices, primicerius; (*c*) siquidem adhuc est hominis dignitas incomperta: sed à Laicorum grege fidelium, quoniam nullum extat adversum, probabile saltem, vestigium, minimè secernendus. Inter Laicum verò quemlibet, quòd ad Sacras pertinet disciplinas, eúmque vel adolescentem, vel juvenem, vel etiam virum, in Academiis auditorem, (ut de senibus taceam venerandis, nostram hancce Regiam libentissimè frequentantibus) plurimum liquet discriminis interesse.

Nam quid, quaeso, Laicus ad Clericum? vel ut planiùs loquar, Graeca haec bina, *Laos* et *Kleros*, Latinè convertens: quid populus, etiam *Dei*, etiam *acquisitionis* ille Christianus, quem *genus electum*, *regale Sacerdotium*, *gentem sanctam*, Apostolorum Princeps omnium Petrus appellat: (*d*) ad sortem, peculiúmve Dominicum, de tribubus fidelium cunctis electum, uniúsque ministerio Domini exercituum mancipatum: (*e*) ubi Ecclesiasticae Hierarchiae, *quae est ut ordinata castrorum acies*, (*f*) domum, septenis Gradibus, quatuor Minoribus, tribúsque Majoribus, velut totidem columnis innixam, Sapientia sibi sempiterna construxit? (*g*) Neque verò quemvis à me intellectum hocce loco Clericum putatote; tametsi Clericorum mini-

ni-

(*a*) *Jacob.* c. 3. vv. 15. 17.
(*b*) *Eccli.* c. I v. 5.
(*c*) *Carcassonensis.*
(*d*) *Petr.* 1. c. 2 v. 9.
(*e*) *Deuter* c. 18. v. 5.
(*f*) *Trident.* 5. 23. c. 4. *Cant.* c. 6. v. 9.
(*g*) *Prov.* c. 9 v. 1.

nimo *nihil potest esse felicius; cui efficitur suus Conditor census, et haereditas dignatur esse ipsa Divinitas:* (*a*) sed eos in primis, quales vos scilicet numeramini, quos aut Sacerdotii Ordo décorat divinissimus; aut certè ipsum jampridem inhiantes, atque pro uniuscujusque vel aetate, vel scientia, vel reditu propiùs, remotiúsve salutantes; idem ipse manet ut décoret.

Jam *labia Sacerdotis* nónne *custodient scientiam; et legem de ejus ore requirent?* (*b*) Nónne *qui scientiam repulerit, is à Domino, ne ipsi fungatur Sacerdotio, repelletur?* (*c*) Nónne *hi, qui ea, quae sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur: Paulo attestante, qui* ignorabitur, si quis, *inquit*, ignorat? (*d*) ,, Nonne ,, Ecclesiae quoddam est dedecus inscium videre Pres- ,, byterum; cui utique congruit erudire populum, et ,, ad se confluentibus monita propinare salutis? Nónne ,, propterea in capite turbarum praesidet; ut verbum ,, Dei pronuntiet plebibus; errantibus scientiae pro- ,, ferat lumen; atque de omnibus, quae ad Catholicam ,, pertinent veritatem, rationem competentem, se in- ,, terrogantibus, respondere sufficiat?" (*e*) ,, Ubi ergo ,, sunt illi, qui innocentiam Sacerdoti dicunt posse ,, sufficere? Vetus lex novae congruit. Idipsum Moses, ,, quod Apostolus: ille Sacerdotis scientiam ornat in ,, vestibus; iste Timotheum, et Titum instruit disci- ,, plinis." (*f*) Et quia in Timothei mentionem incidimus, quàm eum, mei juvenes, ipse commendat gentium Doctor, ,, quòd ab infantia Sacras litteras nôs- ,, set, quas ad docendum, ad arguendum, ad corri- ,, piendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus ,, sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus; ,, uti-

(*a*) *Presp.* lib. 2. *de vit. contemp.* c. 16.
(*b*) *Malach.* c. 2 v. 7.
(*c*) *Os.* c. 4. v. 6.
(*d*) *Greg. Pastor. part.* 1. c. 1. 1. *Corint.* c. 14. v. 38.
(*e*) *Laurent. Justin. de spirit. anim inter.* lib. 3. n 15.
(*f*) *Hieron. ad Fabiol. de vestib. Sacerd.*

„ utiles esse," *subjungit* ! (*a*) Quid, quòd per aliquot saecula moris fuisse Gallorum, Germanorum, Italorum, omnium denique nationum, ut litteratissimum quemque, vel laicum, Clericum appellarent, historici benè multi, fidéque dignissimi, tradidere? (*) Hinc sanè factum est, ut Gallis idipsum *Clerc*, nempe *Clericus*, quod scitus, aut doctus; et *Clergé* scilicet *Clericatus*, quod doctrina, vel scientia sonaret. (*b*)

Sed quorsum haec, inquit fortè vestrum aliquis, disputas? Quorsum? Ut intelligatur, si Laurentius sibi ab Augustino *Enchiridion* postulabat, exigua scilicet mole libellum, qui manibus posset astringi, nec de suis unquam contingeret recessurum, praecipua Christianae Theologiae dogmata continentem: „ quid nempe sequendum maximè; quid propter diversas principaliter haereses sit fugiendum: in quantum ratio pro religione contendat; vel quid in rationem, cùm fides sit sola, non veniat: (**) quid primum, quid ultimum teneatur; quae totîus definitionis sit summa: quod certum, propriúmque fidei Catholicae fundamentum:" (*c*) eúmque librum vir summus, postulatis annuens, exaravit, ut processui consuleret postulantis: è re nata melius à me nil fieri potuisse, quàm ut Theologicum, vobis expetentibus, codicem exhiberem, consilio, et parvitate persimilem, atque, ut Pliniano utar vocabulo, manualem; (*d*) eruditione verò, eloquentiâque dissimillimum: ubi non modò formam ipsam, et tanquam faciem Theologiae videatis; sed tota etiam mente Ordinem, Studium, Finem, quae à suis illa exigit cultoribus, contrectetis: paucis, Theologum praeceptionibus Academicis institutum.

Quòd

(*a*) 2. *Tim*. c. 3. vv. 15. 16. 17.

(*) Videte Liberatum Fasson. Schol. Piar. *in Quaest. Critic. de viro Laico cum haereticis disputante*, *impress. Liburnii an.* 1765.

(*b*) *Du Cange gloss. med. et infr. Lat. Verb.* Clericus.

(**) Aliter alii Codices habent; haec autem lectio visa mihi est probabilior.

(*c*) *Enchir*. c. 4.

(*d*) *Lib*. 19. c. 1.

Quòd si *idem et docenti, et discenti debet esse propositum, ut ille prodesse velit, hic proficere*; (*a*) sicque vobis mecum ista conveniunt, ut nec vos nisi proficere; nec ego nisi prodesse velîmus, optemus, cogitemus, sequamur: mirer profectò, si in hac opportunitate, atque utilitate doctrinae, insolitum positionum, sive Conclusionum genus quispiam carpat. Is autem, qualis erit cumque, laboris mei, *scopoûque* reprehensor divinum illud sibi habeat pro responsione proverbium: *Sermo opportunus est optimus.* (*b*)

Referam me igitur ad meum Academiae Theologum inchoandum, meísque ad eam scientiam Conclusionibus informandum; quae caritati conjuncta, non inflat, (*c*) aut destruit; sed aedificans, (*d*) ardet, et lucet: (*e*) quâ certè possit, non unus è turba Theologus; sed omnibus suis numeris, et partibus expletus evadere. Quamquam quid meum dixi, vel meis? Imò veritatis, et veris; sed quia veritatis, idcirco plus meis: illam enim, si quomodo comprehendam, (*f*) sequi constituo; Ecclesiae, *quae columna est, et firmamentum veritatis*. (*g*) in Scripturis, et Patribus, et Canonibus intelligendis, atque ad rem propositam afferendis, sensum exquirens. Magnum opus omnino, Deus immortalis, et arduum molior: rem difficilem, et omnium difficillimam; vestri tamen causâ, juvenes, et amore susceptam: quam si sustinere non potuero, injuncti tantulo tanti oneris culpa sit vestra, mea recepti: sed utramque, obsecro, intentio utriusque partis recta compenset.

Quaeritis igitur impensè, ídque jam saepius, quam Theologiae perdiscendae rationem probem maximè: et qualis mihi videatur illa, cui addi nil possit; quam ego summam judicem, et perfectissimam reliquarum. „ In

(*a*) *Senec. Epist.* 108.
(*b*) *Prov.* c. 15. v. 23.
(*c*) 1. *Cor* c. 8. v. 1.
(*d*) *Ibidem.*
(*e*) *Joann.* c. 5. v. 35.
(*f*) *Philipp.* c. 3. v. 12.
(*g*) 1. *Tim.* c. 3. v. 15.

,, In quo (*ut à Tullio, de Eloquentia disserente, verba* ,, *mutuer ad Theologiam*) ,, vereor, ne si id, quod ,, *vultis*, effecero; eúmque *Theologúm*, quem *desideratis*, ,, expressero; tardem studia multorum: qui, desperatione debilitati, experiri id nollent, quod se assequi posse diffidant. Sed par est, omnes omnia experiri; qui res magnas, et magnopere expetendas, ,, concupiverunt. Quòd si quem aut natura sua, aut ,, illa praestantis ingenii vis fortè deficiet; teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est, in secundis, tertiisque consistere." (*a*) Ad Theologiam itaque nemo, quin sit vocatus, accedat: sed quem scientiarum Dominus (*b*) invitaverit, is meminerit; neque omnibus quina data, commissáve talenta, sed bina nonnullis, aut singula; nec ab eis, quibus commendantur, negotiatione sibi imposita, plus repeti lucri, quàm duplum. (*c*) Ergo sic habete, sic judico, eam esse omnium optimam addiscendae Theologiae rationem; in qua tria demum illa, Ordo, Studium, Finis, superiùs indicata, rite serventur. (*d*)

Est jam verò hujusce ordinis providere, ut priùs Philologica, deinde Philosophica, tum Theologica percipiantur: in quo sanè, quàm se artium, atque scientiarum campus Theologo futuro nostro longus, et latus aperiat; cùm res sit per semet ipsa perspicua; tum conclusiones, quas subjicimus judicandas, ampliùs patefacient. Non est enim Theologia nostra, si quidem prout decet, imo etiam prout oportet, excolatur, inculta; sed omnium planè disciplinarum, sibi justissimè famulantium, amoenitatibus ornatissima. Has ipsa *suas mittit ancillas ad arcem, et ad moenia civitatis; parvulos, ut ad se tandem veniant, vocaturas.* (*e*) Scilicet quasi parvulorum propriae doctrinae sunt

(*a*) *In Oratore sub init.*
(*b*) 1. *Reg.* c. 2. v. 3
(*c*) *Matth.* c. 25. à v. 15.
(*d*) *Bernardus in Cant Serm.* 36.
(*e*) *Prov.* c. 9. vv. 3 4.

sunt reliquae; at easdem, ad Sacras litteras dignè tractandas, priùs esse discendas, non Augustinus mòdò, (*a*) sed doctus etiam omnis, verè, inquam, doctus inculcat. Ac de Ordine quidem, quoad praefationem pertinet, hactenus.

Sequitur de Studio, quod pro rerum, quae scitu sint digna, naturâ, et conditione variarum, sic candidatus, petitórve Theologicus variabit; ut in maximis maximum, in mediocribus mediocre, in minimis tandem non nullum collocet, dico, sed minimum. Maxima voco dogmatica, scholastica mediocria, minima extranea. Quo in genere mirum profectò est, quanta in Theologiam vel ipsi, qui à plerisque Theologi audiunt, peccent. Hic enim Historicis, exempli causâ, plurimùm delectatur; ille Politicis; quidam Mathematicis; non nemo Linguis; alii denique, prout quisque affectus est, aliis: sic ut apud istos illud unum valeat, unum floreat, unum regnet, quod sibi arrîdet, et placet, studium; caetera contrà langueant, marcescant, vix, aut nullo penitus modo colantur. Qui porro et dici, et esse, fateor, Historici poterunt, vel Politici, vel Mathematici, vel Interpretes, vel simile quidpiam, aut dissimile; Theologi tamen nec rem talium quilibet habere hâcce viâ poterit; nec verò, si de jure sit sermo, nomen, aut decus. Taceam nunc illos, quibus tanta est, quemadmodum Augustinus loquitur, *libido rixandi*, (*b*) ut de rebus vel omnino, vel propemodum inutilibus, frivolis, anilibus, ineptissimis, integris voluminibus digladientur: apud quos nullum Theologus ille locum obtinet, nullo prorsus est numero, qui, *stultas* ejusmodi *quaestiones, et contentiones, et pugnas*, (*c*) in quibus *verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem*,(*d*)

B Apos-

(*a*) *Lib.* 2 *de Doctr. Christ. tot. maximè à* c. 20.
(*b*) *Eod. lib.* c. 32.
(*c*) *Epist. ad Tit.* c. 3. v. 9.
(*d*) *Ecclae.* c. 6. v. 6.

Apostolico parens praecepto, *devitare* constituit. (*a*) Haec de Studio: illa de Fine.

Absit, absit à Theologiae sectatore nostro cupiditas; absit ignavia: sola eum Dei, sui, proximi Caritas inclínet, indúcat, inflammet: Caritas, inquam, non *verbo* tenus et linguâ; *sed opere, et veritate* (*b*) probata. (*c*) Est autem cupiditas, Augustino docente, quàm multiplex; (*d*) at omnis inimicissima Caritati. Quo sanè vocabulo *motum animi* intelligo *ad fruendum Deo propter ipsum*; *et se, atque proximo propter Deum*: cupiditatis autem opposito *motum animi ad fruendum se, et proximo, et quolibet corpore, non* videlicet *propter Deum.* (*e*) Quid jam verò, ut praecipua cupiditatis membra commemorem, vanitas est, nisi inanis cupiditas gloriae? Quid ambitio, nisi praepostera honorum cupiditas? Quid denique, nisi pecuniae vehemens quaedam, et caeca cupiditas, avaritia? Nempe haec omnia, tanquam *mundi, in maligno positi*, (*f*) propria, Apostolicae litterae detestantur: (*g*) Theologus autem, quamvis in mundo adhuc sit; de mundo tamen esse non debet. (*h*)

Nec verò ignavus, negligens, segnis, mera Theologiae cognitione contentus: quippe cui scientiae divinae, negotiandi causâ, non otiandi, danda sit opera. *Negotiamini*, inquit Veritas ipsa, *dum venio*: servúmque pigrum, qui talentum abscondit in terra, de inutilitate damnatum, in tenebras ejicit exteriores. (*i*) *Sapientia* enim *abscondita, et thesaurus invisus, quae* demum *utilitas in utrisque*? (*k*) Aut quis *lucernam*, ut *illam sub modio ponat, accendit*? (*l*) Vos, ò Theologi, lucem mundi esse, cognoscite, super magisterii cande-

(*a*) *Ad Tit.* c. 3. v. 9.
(*b*) 1. *Joan.* c. 3. v. 18.
(*c*) *Gregor. Homil.* 3. *in Evang.*
(*d*) *Lib.* 3. *de Doct. Chr.* c. 10.
(*e*) *Id. ibid.*
(*f*) 1. *Joan.* c. 5. v. 19.
(*g*) *Ibid.* c. 2. vv. 14. 15. 16.
(*h*) *Joan.* c. 17. vv. 11. 14.
(*i*) *Matth.* c. 25. vv. 25. 26. &c.
(*k*) *Eccli.* c. 20. v. 32.
(*l*) *Matth.* c. 5. v. 15.

delabrum à Christo Domino constitutam; ut omnibus, qui in Ecclesiae suae domo sunt, verbo, exemplóque luceatis. (*a*) Ac *meliorem* quidem *eum esse hominem*, *qui insipientiam suam celat*, *homine suam sapientiam abscondente*, non mihi, dico, credatis, sed Domino. (*b*) Caritate igitur ducti, caritate flagrantes, ad Theologiam cuncti, ejus discipuli, juvenes, convolemus: ut nempe quid Deo, quid nobis, quid proximo debeamus, Deo inquam, pietatem, nobis sobrietatem, aequitatem denique proximis, agnoscentes, vitâque ipsâ nostrâ complentes; idem reliquos doceamus. Nam si et *nobis attenderimus*, *et doctrinae*; *atque institerimus utrumque* praestare; *et nosmetipsos salvos faciemus*; *et eos*, *qui nos audierint*, ut auctor est Paulus. (*c*)

Quod superest, studete, quaeso, *sapientiae*, filii, *et laetificate cor meum*: *ut possítis exprobranti respondere sermonem*. (*d*) Hanc opto, hanc flagito, hanc jubeo, in Theologicas exercitationes ut operam dare conemini; quam rectus Ordo, Studium congruens, sanctus denique Finis exposcunt. Id nimirum Deo, id Ecclesiae, id Reipublicae, id Academiae, id Magistris omni prorsus jure debetis. Ecce quot, qualiúmque parentum vestra intersit, juvenes, honori prospicere. Macti ergo estote virtute; macti sapientiâ, non inani, sed solidâ. Quam sanè vos, tanquam lucis filios, viam lucis ingressos; nec inde ad sinistram, vel dexteram deflectentes; *videbunt recti*, *et laetabuntur*; *et omnis iniquitas oppilabit os suum*. (*e*) Sin verò contingat, (quod eveniet pro stultorum conditione saepissime) ut vel in Academiam, vel in eos, quibus ipsamet ad vestram institutionem utitur, Praeceptores; quòd indocti sunt omnes; quòd puri puti Grammatici; quòd superbi; quòd malè in doctrina sani, atque suspecti; ejusmodíque convicia, vobis praesentibus, con-

(*a*) *Idem ibid.* vv. 14. 15. 16.
(*b*) *Eccli.* c. 20. v. 33.
(*c*) 1. *Tim.* c. 1. v. 16.
(*d*) *Prov.* c. 27. v. 11.
(*e*) *Psalm.* 106. v. 2 4

conjiciantur: (nam quid nunc maledicta in homines praeclarissimos aspere, ac ferociter dicta commmemorem?) respondete illis quidem; non tamen probra, sed proba; seu verba, veritati, ac virtuti conformia: si vestris fortè excitati, correctíque sermonibus, resipiscant; aut convicti saltem, et confusi, recedant. Ego autem, si me vestri non culpâ, sed causâ quis laceret; vestrámve mihimetipsi inscientiam, incuriam, arrogantiam, turpitudinem falsè exprobret, et iniquè; tantum certè aberit, ut *tacens consumar*, (*a*) obmutescere, aut abire coactus; ut *veritate*, *suos discipulos liberante*, (*b*) confisus; maledici conviciatoris injurias paucis quidem verbis, sed invictis extinguam. Quo profectò sensu postremo versus Vulgatae editionis ille, quem Codicis hujus fronti praescripsimus, Hebraicis fontibus continetur: *Chachám*, *béni*, *vescammách libbí*: *veaschívah chorphí davár*: Hoc est: *Sapiens*, *fili mi*; (scilicet *esto*) *et exhilara cor meum*: *et respondebo*, *afficienti me probris*, *verbum.*

Sed nihil opus est plura: jam enim Conclusiones parvi hujus, nec limati opusculi triplices, ad Ordinem, ad Studium, ad Finem, quae in Theologica exercitatione servari oporteat, spectantes, nostram omnem tribus capitibus explicabunt de vera, et germana Theologia; deque Theologo, ut par quidem est, instituendo, erudiendo, perficiendo sententiam. Moneam priùs, Hebraea omnia, et Graeca, imo etiam Germana vocabula, quae non ostentationis causâ, sed adhortationis adhibeo, Latinis propterea notis expressa; quòd Hispali praeter Latinos, eósque rudes, typi reliqui, quamvis aliunde requisiti, atque sperati, minimè tamen haberi potuerint.

DE

(*a*) *Job*. c. 13. v. 19.   (*b*) *Joan. Ev.* c. 8. vv. 31.32.

DE ORDINE, IN THEOLOGICA exercitatione servando,

CAPUT I.

TRIA igitur esse jam dixi, ei, qui Sapientiam adamat; (*amare namque*, quod de virtute docuit Seneca, *parum est*) (*a*) atque cujus labores omnes ad ipsam, ut perfectus evadat Theologus, meditantur, rerum genera cognoscenda; aptóque ordine, ac *methodo*, seu via, et ratione versanda: quarum alias Philologicas, partim Philosophicas, quasdam denique Theologicas, mihi libet, quandoquidem licet, ac expedit, appellare. In ejusmodi autem triplici notione, si modò id rationis trútinâ rectae pensabitur, *orbis doctrinae ille*, quem Oratoriae causâ Quintilianus probat in pueris; (*b*) sive *doctrinarum omnium*, ut Vitruvius loquitur, *disciplina*; (*c*) scientia videlicet generalis, ex disciplinarum circulo effecta cunctarum, quam *encyclopaideian* Graeci nuncupant, continetur. Quo ex cumulo tùnc Sapientiae templum ordinatè, nisi fallor, animo discentis extruitur; cùm ab *Atrio*, ut ita dixerim, Philologiae fabrica incepta, tandiu per Philosophiae quasi *Sanctum* deducta provehitur; donec ad Theologiae velut *Sancta sanctorum* maturè pertingat. (*d*) Est enim, Apostolo auctore, *Dei templum* homo quilibet verè Christianus: (*e*) cujus mihi sensus instar Atrii, ratio instar Sancti, mens tandem, sive intelligentia, instar Sancti sanctorum esse videtur. Atqui ut Philologia sensui; sic et rationi Philosophia, et intelligentiae Theologia propria est. A sensu ergo per rationem ad intelligentiam, fide nixam divina, progredimur.

(*a*) *Epist.* 71.
(*b*) *L.* 1. *Inst. Orat.* c. 10.
(*c*) *Lib.* 6. *in praefat.*
(*d*) 3. *Reg.* c. 6. tot.
(*e*) 1. *Corinth.* c. 3. v. 16.

mur. Quae autem eruditio humaniores litterae, Hispanè *Bellas letras*, vel *Humanidades* etiam dici solet; eam hìc Philologiae nomine intelligo: magnus sanè locus, futuríque Theologi proprius, à viris gravissimis tùm Hipanis, tùm Gallis, tùm Germanis, tùm Italis tractatus uberrimè.

Huc itaque Grammatica spectat; nec unîus linguae definita limitibus, sed multarum: quae à *glootta*, quod est lingua, vel sermo, et *máthema*, disciplina, vel ars, *gloottomathías*, scilicet doctrinae linguarum, nomen accepit. Linguis accedit Historia, *testis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriae*, *magistra vitae*, *nuntia vetustatis*: (*a*) eáque cum Chronologia, et Geographia, sive temporum, et locorum notione conjuncta: quam et Scripturae Sacrae, (*b*) et Jus tùm Canonicum, (*c*) tùm Civile (*d*) commendant. Ac Historiam quidem dico multiplicem, nempe Politicam, Naturalem, et Litterariam: quò cuncta Historiarum genera rediguntur. Et Politica quidem vel Divina est, vel Ecclesiastica, vel Profana. Naturalis, pro rerum naturae varietate mirabili, innumera ferè capita comprehendit. Neque verò sterilis Litteraria: in qua tùm Litteratorum opiniones hominum, et scripta; tùm artium, atque scientiarum exordia, et incrementa narrantur. Addite Antiquariam, quae in manu scriptis, et statuis, et nummis, et annulis, et inscriptionibus, et aliis vetustatis *léipsanis*, reliquiísve, sive monumentis detegendis est tota. Attexitote Rhetoricam, Poëticam, *Mythologían*, quae Latinè redditur sermo de fabula; atque in variarum, quas ne sim gravis, taceo, fabularum explicatione, ac enodatione versatur. Quarum profectò artium cognitionem, cùm aetatis ejus, in qua sensus, memoria, et imaginatio praevalent, propria esse videatur; rectus doctrinae ordo praescribit

in

(*a*) *Cicer. lib.* 2. *de Orat.* n. 36.

(*b*) *Exod. c.* 17. v. 14. *et Esdr* 1. c. 4. v. 15. *et saepe aliàs.*

(*c*) *Cap.* Ad audientiam, *de praescrip. et alibi passim.*

(*d*) *In l.* Breviter. 1. *ff. de offic. Praefecti Praetor. et aliàs.*

in pueris. Age nunc, ut totum de Philologia locum in leges, aut regulas, disputationis ergo, et institutionis, quaspiam digeramus; ecce praecipuae

Philologicae Conclusiones.

I. CAvendum est maximè, ne quis, disciplinam quamlibet auditurus, in Academicum recipiatur; nisi Grammaticâ, Rhetoricâque Latinis plus erit, quàm mediocriter eruditus.

II. Danda est opera cuilibet Academiae praeceptori, Theologico verò major, ut omni, quoad liceat, sermonis vitiositate sublata, suus rei cuique in Disputationibus, Lectionibus, caeteris demum Academicis exercitationibus stilus, formáve dictionis aptetur.

III. Nisi Hebraicae, Graecaeque linguae rudimentis saltem imbutus, juvenis adeat Theologiam; imparatus, aut certè non, prout oportet, apparatus accedit. (*)

IV. Utriúsque idiomatis, modò laudati, multò facilior est, atque promptior, quàm vulgus existimat, comparatio.

V. Quin etiam negare audeo, linguam esse ullam; quae cum Hebraea possit nec simplicitate, nec brevitate, nec facilitate contendere. (**)

VI. De punctis autem, apicibus, virgulis, vel accentibus, quorum est quidem, confiteor, molesta tra-

(*) Viennense Concilium, an. 1311. sub Clemente V. celebratum, ut in publicis Scholis, Academiísque praecipuis Hebraea, Chaldea, Arabica linguae traderentur, statuit. *In Clement. t. 5. c. 1.* Paulus autem V. adjecit et Graecam singulari Decreto, an. 1610. pr. Cal. Agust. Romae ad S. Marcum dato.

(**) Videte doctissimum Petrum Guarinum in suae Hebraeae Grammaticae praefatione.

tractatio; ea neque illo cum idiomate nata sunt, sed post Hieronymi tempora à Rabbinis commodè inducta; nec ad ipsius intelligentiam plurimùm conferunt.

VII. Hebraeam Alfonsi Zamorensis Grammaticam omnium puto adolescentibus utilissimam: in qua et perspicuitas, et soliditas, et integritas, et exiguum *léxicon*, praecipuarum scilicet interpretatio dictionum, et opusculum, Hebraicè, ac Latinè contextum, hujuscemodi exercitationi perutile, mira cum brevitate resplendent.

VIII. Graeca vel Gretseri, vel Patavina Grammatica satis est, opinor, apta tironibus.

IX. Dictionaria, ut ita dixerim, tria candidato Theologiae nostro versanda frequenter: pro Latino nempe idiomate, Facciolati; pro Graeco Schrewelii, vel Scapulae; pro Hebraico, Pagnini, sive Buxtorfii.

X. Suadendus est Academicus juvenis Theologicus, ut praesertim vacationum tempore, modò Ciceronis Tusculanas, Academicásque quaestiones perlegat, Officia quoque, Dialogos, *Parádoxa*, hoc est, admirabilia, vel rara: modò Cyprianum, qui, *instar fontis purissimi, dulcis incedit, et placidus*: (*a*) modò Lactantium, *quasi quemdam Tullianae fluvium eloquentiae*: (*b*) modò Hieronymum, *eloquentiae fontem*: (*c*) atque de illa cum Cicerone ipso, quem vincit quodammodo, Erasmi sententiâ, concertantem: (*d*) modò Patres Ecclesiae alios, dicendi ratione consimiles: qua de re Josephi Weissembachii libri tredecim lectione dignissimi.

XI. Absit ab Hispani institutione Theologi, vernaculae, cujus esse debet peritissimus, linguae neglectio. Legat idemtidem binos, praeclarissimósque Luisios, Granatensem, ac Legionensem; legat Rivadeneyram, Abylensémque Joannem: ut alios praeteream

(*a*) *Hieron. ad Paulin. Ep.* 58.
(*b*) *Idem ibid.*
(*c*) *Paulin. S. Ambrosii Notar. in vit. S. Ambr. init.*
(*d*) *Lib.* 5. *Epist.* 19.

ream innumerabiles, quorum lectione non in sermone solummodo, sed in Theologia, et virtute proficiet.

XII. Cùm assiduus in Historia auditor quivis esse debeat Academicus; tùm Theologus omnium maximè: quibus et aurea Vallemontii Historiae universalis elementa, et Ecclesiasticam Gravessonii, non exiguo quidem usui fore sum ratus.

XIII. Ecclesiastica Caroli à S.Paulo Geographia, Holstenii annotationibus illustrata, omnium perfectissima.

XIV. Dionysii Petavii Rationarium temporum Theologiae cultoribus aptius est, atque utilius, quàm ut ab ipsis debeat praetermitti.

XV. Plurima è re antiquaria documenta in Theologiae subsidium eruuntur: quibus Genéri, Hispani Theologi, *Dogmatico-Scholastica Theologia*, *perpetuis Prolusionibus Polemicis*, *Historico-Criticis*, *Sacraéque antiquitatis monumentis illustrata*, inter omnes, quas ego saltem viderim, refertissima.

XVI. Poëtices, Fabulaéque cognitio, quò Emblemata spectant, et Symbola, et Aenigmata, et caetera consimilia, ad Sacrarum confert intelligentiam litterarum. Quo in genere, praeter Augustini libros de Civitate Dei, Pantheum Pomey Mythicum, duóque Martini Du-Cygnei de arte Poëtica libelli nostro sufficiant Theologiae candidato.

Sed tempus est, ut à Philologicis ad Philosophica transeamus. Neque enim veteranis in Theologia studendi leges, modúmve sciendi praescribimus; sed tirones, sed adolescentes, sed discipulos, eósque nostros, et carissimos, et amantissimos instituimus, atque ad Theologiae perfectionem accendimus: et ab ejusmodi scripturae genere, vel doctrinae, disputandarum nempe codicis positionum, omnis prorsus aliena, importunáque videtur esse diffusio. Philosophiae igitur vocabulo, quod Sapientiae amorem indicat, vel studium, plus quidem volumus hocce loco, quàm vulgus existimat, intellectum. Quid enim est tam com-

mane, quàm Logicae, ac Physicae nescio quae frustula, vel umbrae, sive imaginis Philosophiae nomine indigna, Philosophiam pleno nihilominus ore laudare? Atqui quàm latè, ac longè sapientia, naturae lumine subnixa, protenditur; tam studium ejus, ipsáve Philosophia, pateat, necesse est. Sapientia porrò, quam nunc juventuti Academicae, potissimúmque Theologicae, commendamus, illa est, *quam Divinarum, humanarúmque rerum, tùm initiorum, causarúmque cujusque rei, cognitione, hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assecutam*, Tullius docet. (*a*) Haec itaque immensa, ut ita dixerim, naturae totîus spatia perlustrans; atque látebras, recessúsque innumeros penetrans; thesauros, unde scientiae, artésque singulae locupletentur, effodit abditissimos. Haec magna, haec mediocria, haec parva, haec tenuissima quaeque naturalia persequitur. Rerum haec ipsa cunctarum, sive caelestium, sive terrestrium, sive interjacentium, quasi alis acta, et vecta conscendens, descendens, circumiens, repens, elementa vestîgat, et naturas, et affectiones, et effectus, et causas, et classes, et caetera. Haec tandem, rerum universitate lustrata, discussa, perspecta, calcata, usque ad *ipsius invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta*, conspicienda transcendit, et *conspicit.* (*b*) Cedo mihi scientiam, cedo artem, vel illiberalem, nedum liberalem aliquam, et ingenuam; cujus Philosophia non parens, non educatrix existat. (*c*)

Sed age, vela faciamus: atque praecipuis Philosophiae partibus recensitis; quae ad Theologi institutionem nostri attinent, concludamus. Est autem totîus Philosophiae quadripartita descriptio, tritissimis Logicae, Metaphysicae, Ethicae, ac Physicae vocabulis comprehensa. Logica ergo, ,, quae per omnes ,, partes sapientiae manat, et funditur, rem definiens, ge-

(*a*) *Tuscul. Quaest. lib.* 5. c. 3.
(*b*) *Rom.* c. 1. v. 20.
(*c*) *Cicer. lib.* 1. *de Leg. sub fin.*

„ genera dispertiens, sequentia adjungens, perfecta „ concludens, vera et falsa dijudicans, disserendi ratio, „ et scientia,“ (*a*) Criticam complectitur, sive artem, quae in discernendis auctorum scriptis veterum, et novorum tota fermè versatur. Sequitur Philosophiarum prima, princépsque omnium, singulis principia suppeditans, (*b*) Metaphysica: quae sensibilia, et imaginabilia cuncta supérvolans, rem omninò praeterit nullam, corporis participem, vel expertem, necessariam, vel fortuitam, sive existentem, sive praeteritam, sive futuram, sive demum esse potentem; quin eamdem, ut pateat cognituro, subtilissimâ quâdam intelligentiae velut anatomiâ discindat. Estque duplex, generalis, et specialis. Illa omnia, quae sint cumque, universalibus inter semetipsa conciliata rationibus, contemplatur: haec de mentibus, Divina, Angelica, humana, quoad *signatum super nos vultûs Dominici* patitur *lumen*, (*c*) inquirit. Utinam, iterum utinam, ab studiosa juventute tanti, quanti ipsa est, fiat; aut ampliùs saltem, et diligentiùs, quàm excolitur, excolatur! Deinde Ethica, quae à moribus, quibus ipsa moderatur, est dicta: „ unde cognitio, „ *inquit Cicero*, virtutis existit: efflorescunt genera, „ partésque virtutum: invenitur quid sit, quod na„ tura spectet extremum in bonis; quod in malis „ ultimum: quò referenda sint officia: quae degen„ dae aetatis ratio deligenda.“ (*d*) Huc Naturae Jus pertinet, Gentium, Politicum, Patrium. Restat Physiologia, scientiáve universae naturae corporeae: cui, Angelici sententiâ Doctoris, (*e*) praeíre, comitaríque debent Mathematicae disciplinae; singula nimirum, utpote *in mensura, et numero, et pondere disposita*, (*f*) metientes, computantes, et ad statéram ipsam, vel trútinam perpendentes. Atque ut haec de Philosophi-

cis

(*a*) *Cicer. L.* 5. *Tusc. qq.* c. 25.
(*b*) *S. Thom. L.* 3. *cont. Gent.* c. 25.
(*c*) *Psalm.* 4. v. 7.
(*d*) *Tusc. qq. L.* 5. c 25.
(*e*) *Lect* 6. *in Lib* 6. *Ethic.*
(*f*) *Sap.* c. 11. v. 21.

cis hactenus, non fusa quidem, sed quasi destillata doctrina, aliquantulum tùm incrementi, tùm perspicuitatis accipiat; sequantur

Philosophicae Conclusiones.

I. MANCA, imperfectáque juventuti, Theologicae potissimum, traditur Logica; quae nulla Criticae artis rudimenta complectitur.

II. Aristotelica Facciolati Logica diurnâ, nocturnâque manu eidem Philosophicae juventuti versanda, opus nempe et rebus, et verbis eximium, ne dicam, suo in genere singulare.

III. Philosophica prorsus omnia Genuensis Antonii, Logica videlicet, Critica, Methaphysica, Physica, Ethica, Politica, quin etiam Theologica opuscula preclarissima.

IV. Altieri autem Laurentii Elementa Philosophica, donec commodiora habeantur alia, pro gymnasiis ejuscemodi retinenda quidem arbitror; modò in Musicis, *Mineralogicis*, *Phytologicis*, *Zoologicis*, hoc est, ad fossilia, plantas, et animalia pertinentibus, multa, quae ibi desunt, ex Philosophia Bertholdi Hauserii eruditissima suppleantur.

V. Opus de variis fossilium generibus, Bernardo Caesio auctore, Philosophis, et Theologis utilissimum.

VI. Sic est Matheseos doctrina cum Physica temperanda; ut terminis utriusque cognitis, nec transcursis; illa serviat; haec praesideat: opem illa ferat; haec palmam.

VII. Physici, Mathematicis adjuti calculis, et mensionibus, proprium est, cùm de sono tractatur, Musices tradere fundamenta: in quibus Theologus peregrinus esse non debet. *Non enim pauca in Scripturis Sacris claudit, et óbtegit rerum ignorantia Musicarum.* (a)

VIII.

(a) *August. lib.* 2. *de D. C. c.* 26.

VIII. Quàm est pulchrum, et solidum, et Theologis peculiare, opus de *Cantu*, *et Musica Sacra*, singula Ecclesiae tempora comprehendens, Martino Gerberto auctore, conscriptum!

IX. „ Agriculturae, gubernationis, saltationum, „ cursionum, luctaminum, idque generis artium cognitio, etsi tenuiter, cursímque, usurpanda est tamen ad judicandum: ne omnino nesciamus, quid „ Scriptura velit insinuare; cùm de his artibus figuratas inserit locutiones. (*a*)

X. Nemo unus est ad Theologiam, nisi Methaphysica praedidicerit, admittendus.

XI. Ad Methaphysicum pertinet de brutorum anima inquirere: quam esse incorpoream ratio, et auctoritas persuadent.

XII. Interest plurimùm Academicae juventutis, quibus credat scriptoribus; et quos caveat: maximè in rebus ad Religionem, ad Ethicam, ad Politicam spectantibus.

XIII. Eclectica philosophandi ratio cùm omnibus, tùm Theologis potissimum, necessaria. (*)

XIV. Alia, longè alia libertas est illa, quae ab Eclectica docendi ratione procedit; atque eorum licentia hominum, et audacia, quos Germani *Frey-Geister*, Galli autem *Forts-Esprits* appellare consuêrunt. Illa nimirum recta, sancta, utilis, Ecclesiasticae tandem doctrinae conformis; haec contrà prava, iniqua, pestilens, diabolica.

XV. Quare indigna prorsus est, ac intoleranda vel ruditas, vel malignitas, utramque miscêre; Catholicósque viros cum haereticis, atque adeo Atheistis, in

(*a*) *August. lib. 2. de Doct. Christ.* c. 31.

(*) „ Philosophiam autem non dico Stoicam, nec Platonicam, „ aut Epicuream, et Aristotelicam; sed quaecúmque ab his „ sectis rectè dicta sunt, quae docent justitiam cum pia scien„ tia, hoc totum selectum, dico Philosophiam." *Clem. Alex.* „ *Lib.* 1. *Strom.*

in circulis, conviviis, academiis, pulpitis, remota, imo pessúmdata caritate, atque veritate, traducere.

XVI, Non omnem Philosophiam verbis illis, *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam*, ut Lutherus perperam intellexit, condemnat Apostolus; sed eam solummodo, quam et hic ad Colossenses *inanem fallaciam*; (*a*) et aliàs ad Timotheum *falsi nominis scientiam* nuncupat. (*b*)

Ac Philosophicis quidem satis, arbitror, factum. Venio ad Theologica, quae ex priori trina illa nostra opusculi partitione restabant; atque in Deo, ex ipsius revelatione, fide, spe, et caritate colendo, universa vertuntur. (*c*) Nempe Theologia in id tota incumbit, ut hunc intelligi, hunc praestari, hunc defendi doceat cultum. (*d*) Revelatio autem illa verbo Dei, tùm scripto, tùm tradito, et apud Ecclesiam deposito fidelissimam, continetur. Hujusce porrò, uniúsque *mulieris*, *sole amictae* Divino; (*e*) et Christo *viae*, *veritati*, *vitae* (*f*) sempiternâ, et inviolabili fide desponsae; (*g*) de iis prorsus omnibus interest judicare; quae ad suimet sponsi, à quo et auctoritatem habet, et juge praesidium, agnitionem, timorem, amorem, honorem spectant: sic nempe, ut quicumque illam, sive docentem, sive interpretantem, sive praecipientem, sive caventem non audierit, tanquam publicanus, vel ethnicus sit habendus. (*h*) Ille autem ipse cultus tria summa complectitur doctrinae capita Theologicae: primum de Fide, alterum de Moribus, tùm de Disciplina postremum. Nam et *sine fide impossibile est placere Deo*: (*i*) et *fides sine operibus mortua est*: (*k*) et *si quis* tandem *voluerit contentiosus esse*; *nos talem consuetudinem non habemus*, *neque Ecclesia Dei*. (*l*) Fidei ergo

(*a*) C. 2. v. 8.
(*b*) 1. *Tim.* c. *ultim.* v. 20.
(*c*) *August. in Enchir.* c. 1.
(*d*) *August. L.* 14. *de Trin.* c. 3.
(*e*) *Apocal.* c. 12, v. 1.
(*f*) *Joan.* c. 14. v. 6.
(*g*) *Ose.* c. 2 vv. 19. 20.
(*h*) *Matth.* c. 18. v. 17.
(*i*) *Hebr.* c. 11. v. 6.
(*k*) *Jacob.* c. 2. v. 26.
(*l*) 1. *Cor.* c. 11. v. 16.

ergò puritate, morum sanctitate, Ecclesiasticíque regiminis observantiâ, verus Dei cultus, Christianáve Religio, atque adeò Sapiéntia, Theosophiáve, sive Theologia revelata, triplici quasi termino, definîtur. Atque fidei articulos Symbolum Apostolicum; Morum Dogmata Decalogus, ad Evangelium exactus; disciplinae denique sanctiones Jus complectitur Ecclesiasticum, vel Canonicum.

Hinc triplex primùm exoritur Christiana Theologia, *Symbolica* scilicet, *Decalogica*, atque *Ecclesiastica*, vel *Canonica*: quarum singulae, pro rerum, quas continet diversitate multarum, ulteriores subit, eásque aptissimas, meâ quidem, nec solâ, sententiâ, partitiones. Nam quae leges pro recta Sacrorum interpretatione librorum suppeditat, *Interpretatrix* Latino, Graeco autem sermone *Exegetica* nominatur. Quae autem fidei dogmata Divinae declarat, confirmat, exornat, *Dogmatica*. Quae verò ejusdem fidei controversias adversus Ecclesiae hostes, ut dogmata ab eorum telis vindicet, urget intrepida, *Polemica* Graecè, Latinè *Bellatrix*. Quae porrò morum doctrinam continet, lege Dominica regendorum, *Moralis*. Quòd si viam perfectionis, in virtutibus obtinendae, consiliis etiam Evangelicis adhibitis, tradat, à Graecis *Ascetica* dicitur; à nobis *Exercitatrix* rectè, puto, dicetur. Quam proximè consequitur *Mystica*, arcanos, sublimésque in hominum mentes Divinitatis illapsus exquirens. Accedit *Liturgica*, quae Sacris ritibus, sive caeremoniis, ad Missae Sacrificium, Horas item Canonicas, tùm reliquas Ecclesiae functiones, spectantibus, exponendis incumbit. Superest *Popularis*, *Catechetica* Graecis, vel *Homiletica*, quae in fidei, morúmque doctrina, familiari, vel pueris, vel populis, sermone tradenda, versatur. *Symbolicae* genus quoddam Theologiae praetermitto, longè utilissimae, et Patribus celeberrimae; (a) Divina quamplurima, per fi-

(a) *Dionysius Alex. Epist.* 9. *ad Titum. Clem. Alex. L.* 5. *Strom. Nazianz. Orat.* 37.

figuras, imagines, symbola, Deo in Scripturis Sacris attributa, tractantis: quam ad *Exegeticam*, cujus interest, relegamus. (*) Sint jam igitur

Theologicae Conclusiones.

I. THeologiae studium revelatae, rerum discendarum multitudine longum, sublimitate difficile, obscuritate periculosum, (*a*) auditorem sibi vendicat, maturitate, perspicacitate, docilitate denique probatissimum.

II. Cùm verbum divinitus revelatum, Ecclesia judicante, rationéque famulante, Theologicam veritatem conficiat universam; dubitari non potest, quin disquisitio Theologiae quaelibet, praeclarâ illâ Augustini sententiâ, *contra rationem nemo sobrius*, *contra Scripturam nemo Christianus*, *contra Ecclesiam nemo pacificus senserit*, (*b*) dirigi debeat, et finiri.

III. Theologiae professoris refert, brevem quamdam, perspicuam, solidam discipulis tradere Historiae Theologicae summam, semel saltem in studii Theologici quadriennio: quod in prima, suo Theologiae Dictionario praefixa, Dissertatione Prosper ab Aquila explevit eximiè.

IV. Quaestio autem illa, neque indigna tractatu; atque à Mabillonio, (*c*) Dupinio, (*d*) Possevino, (*e*) Gerberto, (*f*) aliis disputata: utrum praestet alteri, professorésne sua auditoribus scripta dictare; an auctorem quempiam, publicis typis expressum, ipsis exponere: sic mihi, in Theologica praesertim institutione, pro

(*) Huc facit Symbolographia Jacobi Boschii celeberrima.

(*a*) *Nazian. Orat. 26. de Moder. in disput.*

(*b*) *Lib. 4 de Trinit.* c. 6.

(*c*) *Tract. de stud. Monast. p.* 2. c. 10

(*d*) *Meth. stud. Theol.* c. 25.

(*e*) *Biblioth. Selec. Lib.* 1. c. 26.

(*f*) *De Rat. Exercit. Schol.* c. 1.

pro posteriori modo videtur esse solvenda; ut priore tamen posterior, ubiubi oportuerit, suppleatur.

V. Fuit semper, éstque adhuc, atque, donec saecula consummentur, erit in Ecclesia Catholica *arcani* doctrina secretior; quam piaculum sit temere in vulgus spargere; auribúsve, non satis fidelibus, purgatis, idoneis pródere. (*)

VI. Quapropter Theologici Magistri esse constituo, discipulos nimis redundantes, et supereffluentes juvenili quadam dicendi proclivitate, reprimere: ac, ne de quibuslibet apud quoslibet disserãt, providere.(a)

VII. Asceticae, Mysticaéque, solidae inquam, et verae, doctrina non est à Moralis traditione Theologiae separanda: nec verò Liturgicae, atque Ecclesiasticae, vel Canonicae.

VIII. Nec Hebraeus Veteris, aut Graecus Novi Foederis Codex in rebus fidei, vel morum corruptus est: nec à Tridentino Concilio Vulgatae Editioni Latinae postpositus.

IX. Quae cùm ita sint; (imo verò etiam si aliter quidem essent) à Doctore, Scripturae interpretationi Divinae praefecto, praeteriri non debent. Ad quod sanè haud parùm Sebastiani Seemilleri, Sacrae Theologiae Licenciati, ac Professoris, nec non Canonici Regularis Pollingani, *Hermeneuticam Sacram*, addita *Commentatione de Studio linguae Hebraicae cum Theologia conjungendo*, arbitror juvaturam. Accedit Danielis Christophori Riesii *Chrestomathia Biblica Analytica Polyglootta*.

X. Theologicae ejus auctoris Institutiones, qui aut, defendendo, studium partium fovet; aut refel-

D lendo,

(*) ,, Quoniam iis, qui non sunt probati, non facilè potest ,, exhiberi ejusmodi ministerium; nonnulla consultò prae- ,, termitto, timens scribere, quae etiam cavi dicere: iis ,, metuens, qui in ea inciderent, nè in aliam fortè partem ,, accipientes, laberentur; et puero gladium juxta proverbium ,, praebere inveniremur. *Clem. Alex. Strom. L.* 1.

(a) *Nazianz. Orat.* 36 1. *de Theolog.*

lendo, modestiae, caritatis, justitiae terminos transilit; longè sunt à gymnasiis Academicis removendae.

XI. Novem Martini Gerberti Theologiae, *Exegetica*, *Dogmatica*, *Symbolica*, *Moralis*, *Mystica*, *Sacramentaria*, *Liturgica*, *Canonica*, *Scholastica*, totidem octavis minoribus tomis contentae; tractatus item *de Radiis Divinitatis in operibus naturae, providentiae, et gratiae*; de vera insuper *Religione*, *Ecclesiáque demonstratis*; tùm *de apparatu ad eruditionem Theologicam* pro tironibus, quatuor tomis similibus comprehensi; aptiora mihi esse videntur opuscula; quàm ut ipsis carere ullus Theologiae debeat candidatus.

XII. Quamdam Theologicorum velut bibliothecam librorum, juventuti Academicae perutilium, atque viginti septem tomis octavis majoribus contentorum, edidit Dominicus Schramus, Benedictinus: à quibus ex ordine recensendis abstineo, ne longiùs, quàm par est, excurrat opusculum.

XIII. Volumen *de optima legendorum Ecclesiae Patrum methodo*, à Bonaventura Argonensi, Chartusiano Monacho concinnatum, rectè, ac meritò Mabillonius (*a*) pro Theologi institutione commendat.

XIV, Meminerit Theologus, quod à Facundo Hermianensi facundè simul, ac doctè monetur: *Patrum errores luminarium esse defectus: quae licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant; non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt.* (*b*)

XV. Sed nulli tamen, sive Doctori, sive etiam Patri, sic est licitum adhaerere; ac si Deus, ut ita dicam, aliquis esset; ipsiúsque scripta cum Divinis, seu Canonicis conferenda. Absint igitur ab Academiae Theologis contentiones ejusmodi: *Ego quidem sum Augustini: Ego autem Damasceni: Ego verò Thomae: Ego tandem Scoti.* Omnia enim nostra sunt, sive Augustinus, sive Damascenus, sive Thomas, sive Scotus: imo sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas:

omnia

(*a*) *De Stud. Monast. P. 2. c. 3.* (*b*) *Lib. 4. pag. 62.*

omnia quidem *nostra sunt*: *nos autem Christi*: *Christus autem Dei*. (*a*)

XVI. Quamvis Theologica Doctoris Angelici Summa non modò sit Aristotelicae Philosophiae accommodata; variarúmque rerum, quae postea contigêre, notitiis destituta; sed etiam productior, atque sublimior, quàm ut eam vel quadriennium Theologiae destinatum, vel ingenia vulgaria capere possint: tamen ita est solida, ordinata, propria denique Theologorum; ut cuilibet, sive Doctori, sive discipulo, magno usui esse in suis exercitationibus possit.

Quibus sanè omnibus, expositis hactenus, et propositis, abundanter me arbitror, pro scripturae saltem hujuscemodi conditione, de discendorum ad Theologiam Ordine, ac naturâ dixisse: nescio an illuminatè etiam, et solidè: quod judicent quidem alii; sed utinam non invidiae, aut malevolentiae livore; at candore benevolentiae, et caritatis affecti!

DE STUDIO, IN THEOLOGICA exercitatione locando,

CAPUT II.

ORdinem excipit Studium, quod ad rerum, Theologi cognitione dignarum, genus penitus triplex, maximarum, mediocrium, ac tenuium, est, ut aliàs monuimus, quasi ad perpendiculum, exigendum. Maxima autem à me appellata fuisse dogmatica memineritis; in quibus, propterea quia potiora sunt caeteris, principalis item est opera conterenda: quemadmodum in *adiáphoris*, vel, ut Tullius reddit, indifferentibus, vel ambiguis, (*b*) quae vulgus nuncupat Scho-

(*a*) 1. *Cor*. c. 1. v. 12. *Et* c. 3. vv. 4. *et seq.* (*b*) *Lib*. 3. *de Fin*.

Scholastica, mediocris; tum in externis, utpote merè servilibus, exîlis, ac minima. Est namque illud animadversione dignissimum, quod Apostolus non suadet modò, Augustini judicio, sed praecipit: (a) non plus videlicet, quàm sapere oporteat; sed ad sobrietatem solummodo sapiendum. (b) Quid, quòd tempus breve est? túque, qui cum timore, et tremore tuam ipsius operari salutem (c) pro temporis brevitate festînas; ea, inquit Bernardus, scire priùs, ampliúsque curato, quae senseris viciniora saluti. (d) Porrò *exhortari in doctrina sana*; *et eos*, *qui contradicunt*, *arguere*, Theologi munus est: (e) quem *virum bonum*, *rerum Divinarum peritum*, Gersonus probè describit: (f) sicut et Theologiam Melchior Canus *artem*, *quae docet tùm propugnare fidem*; *tum haereses expugnare.* (g) Haec profectò sola est, aut praecipua certè, *sana* illa *doctrina*; quam Doctoribus Paulus inculcat. Nam, ut praeclarum, quem proximè memoravi, Cancellarium Parisiensem, iterum laudem: *quaeret*, inquit, *aliquis*, *quales materiae dicendae sint propriè*, *ac purè Theologicae*? *Respondeat non ego*, *sed Augustinus*: *quòd illae*, *per quas fides saluberrima gignitur*, *nutritur*, *defenditur*, *roboratur.* (h) *Quemadmodum fides*, *spes*, *caritas solùm nominantur*, *et sunt virtutes Theologicae*; *ita materia illa dicenda est propriè Theologica*, *quae fidem aedificat*, *spem erigit*, *caritatem inflammat.* (i)

Dogmatum autem nomine, non admodum pressè, sed largè quodammodo, etsi solidè, accepto, nedum veritates fidei universas intelligo; verùm etiam communia decreta, vel placita Theologorum. Communia

(a) *Lib.* 12. *de Civ. D.* c. 15.
(b) *Rom.* c. 12. v. 3.
(c) 1. *Cor.* c. 7. v. 29. *Et Phil.* c. 2. v 12.
(d) *Serm.* 36. *in Cant.*
(e) *Tit.* c. 1. v. 9.
(f) *Lec.* 4. *de Cons. pr.* 4.
(g) *Lib.* 8. *de L. T.* c. 2.
(h) *Lib.* 14. *de Trint.* c. 3.
(i) *Lect.* 2. *cont. van. curios. cons.* 4.

munia dixi, atque iterum dico communia. „ Alia „ enim sunt Scholae placita, disserit Canus aptissimè; „ alia Sectae praecepta. Quae ab illis dissident, ea „ notam habent; quae ab his, non habent. Nec enim, „ si quid aut Scoticis, aut Thomisticis pronuntiatis „ contrarium est, error illicò est. Quo sanè loco „ arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, „ quas in Schola acceperunt, praejudiciis, viros, aliàs „ Catholicos, notis gravioribus inûrunt: idque tanta „ facilitate, ut meritò rideantur." (*a*) Hactenus vir ille, quem *doctrinâ pariter, ingeniòque praepotentem, famâ magnum, re majorem*, Eminentissimus, eruditissimúsque nominat Pallavicinus. (*b*) Sed áffatim praemonuimus: quocirca mox sanciantur

DE DOGMATUM STUDIO
Conclusiones.

I. PRimum, praecipuúmque Theologi, tum docentis, tum discentis studium est; ut quaestiones, ad fidem, religionémque pertinentes, ab his, quae praeter fidem sunt, et in utramque partem ignorari, vel negari etiam, sine fidei jactura possunt, (*c*) acutè, ac scitè discernat.

II. In eo item multum est operae collocandum, ut, quid inter Catholica dogmata, adversósque haereticorum errores discriminis intersit, facta utrorumque discussione, compareat. Quam in rem Dominici de Camus, Bellicensis Episcopi, opusculum in primo Thesauri Theologici volumine reperitur eximium.

III. Totum ferè quadriennii curriculum, juvenibus pro Theologiae studio circumscriptum, debet in dog-

(*a*) *De Loc. lib.* 7 c. 4.

(*b*) *In Apolog. Societ.* c. 28.

(*c*) *August lib.* 2. *contr. Pelag. et Caelest.* c. 23.

dogmatum explanationem, confirmationem, exornationem, propugnationem impendi.

IV. Cùm non una sit via, sed multiplex, quâ contra inimicos fidei singulos, Haereticos, Judaeos, Saracenos, Paganos, Atheos, sana Catholicorum dogmatum doctrina defenditur; eas perscrutari omnes, atque discernere, operae pretium, idque magnum, Academiae nostrae Theologus habeat.

V. Tria sunt omnino exercitationum genera, ad praecipuum Theologici candidati studium attinentium, Lectionum, Disputationum, Declamationum: quorum primum secundo, secundum tertio praestat utilitate.

VI. Atque Lectiones, quotidie à praeceptoribus designatas, sic tractare sátagent auditores; ut modò stilum Asiaticum adhibentes, amplificent; modò verò Laconicum, contrahant: quo magnam tùm in percipiendo facilitatem, tùm in dicendo dexteritatem sensim, pedetentímque sine dubio nanciscentur.

VII. De Disputationibus autem, in quibus unus quidpiam ponit, alter deinde opponit; cui prior vel faciat satis, vel nitatur, ut faciat: sic frequentandas quidem existimo; ut tempus tamen, concertatoribus pro diligenti praeparatione sufficiens, relinquatur. (*)

VIII. Restant Declamationes, linguâ potissimùm vernaculâ, atque oratorio dicendi genere perorandae: quarum utilitas, et decentia vel ex eo solùm *liquet; quòd eos, qui docturi sunt populum in Ecclesia, valere benè dicendi arte, atque usu, necessum sit*: ut Andreas Hyperius, (*a*) Laurentiúsque à Villa-Vicentio (*b*) consultissimè tradiderunt.

IX. Cùm pleraque Religionis dogmata Christianae,

(*) Disputationum nomine prolusiones quoque illae veniunt intelligendae; quibus in gymnasiis adolescentes, pro Cathedrae alicujus, alteriúsve officii petitione deinceps instituenda, naviter exercentur.

(*a*) *De rat. Stud. Theol. L.* 3. c. 7.

(*b*) *De rat. Stud. Theol. L.* 3. c. 6.

nae, utpote Apostolorum, et Prophetarum fundamento substructae, (*a*) Propheticis, et Apostolicis litteris concludantur; sic in ipsarum Studio assiduus esse debet Theologus, ut semper in ejusdem manibus sint, et jugiter mente volvantur.(*b*) ,, Quin etiam te- ,, nenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem ,, pagina sancta suscipiat.'' (*c*)

X. Et Scripturae quidem ipsae primùm, quoad fieri possit, memoriae mandandae: deinde brevis interpretis alicujus auxilio, Tirini exempli gratiâ, vel Menochii, credendi regulae, vivendíque praeceptiones solertiùs vestigandae: tùm in obscuriora, Cornelii, Calmeti, similibúsque commentariis adhibitis fusioribus, penetrandum. (*d*)

XI. Aurea verè illa, et summa Theologiae Dogmaticae Summa, *Catechismus Romanus* communiter nuncupata, Tridentiníque Concilii curâ contexta, Theologis, non solùm docentibus, sed etiam discentibus evolvenda. (*)

XII. Quamvis non una omnibus, de tempore, à Theologico juvene in studiis locando, praefinienda sit norma; quatuor tamen horae, pro unaquaque videlicet aula binae, satis esse videntur; ut eorum quilibet congruè illuc paratus accedat.

XIII.

(*a*) *Ephes.* c. 2. v. 20.

(*b*) *Hieron. Epist. ad Celantiam.* (*c*) *Idem ad Eust. de serv. virg.*

(*d*) *Vide August. lib.* 2. *de D. C.* c. 9.

(*) ,, Suo jure principem locum inter omnia Doctorum scripta ,, tenet; cùm non unius privati hominis sensum, sed Ecclesiae totius judicium, et Apostolicam à Petro, et Paulo ,, doctrinam Romanis traditam, contineat; juxta quam populo ,, in templo, et juventuti in Scholis proponendae doctrinae ,, omnes attemperari debent: ita ut hic unus liber instar ,, omnium tam docentibus, quàm discentibus lydius lapis, ,, et arctissima, et infallibilis norma, ad quam examinanda ,, sit omnis doctrina, esse queat.'' *Jacobus Bajus in Epist. dedicat. Religion. Christian. Institutionibus praefixa, haec de Catech. Rom.*

XIII. Nullis Theologiae auditor minùs necessariis, aut expedientibus occupationibus impediatur; si quidem verus sit Theologus evasurus. Scriptum est enim: *Sapientia scribae in tempore vacuitatis; et qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* (a)

XIV. Quoniam non omnes dogmatum tractatores in singulis aequè versantur; hi sunt inter alios pro materia unaqualibet, deligendi, qui eâdem pervestigandâ caeteris praestitêre: qualis est Athanasius verbi causâ in Trinitate, Augustinus in Gratia, in Incarnatione Cyrillus. Juniores autem Bellarminus, Perronius, Castrus in dogmaticis celeberrimi.

De Dogmaticis disseruimus: ad Scholastica descendamus. Consultò autem, Theologiam partientes, Scholasticam praetermissimus: rati, nullam esse, si quidem rectè loquamur, Scholasticam Theologiam, ab illis omnibus, quas ibidem recensuimus, Theologiis; re, sed modo distinctam. Neque verò modum ejusmodi, Scholasticae proprium Theologiae, in factionibus, cavillationibus, altercationibus, aliísque Scholasticorum vitiis aliquorum, positum intelligimus: absit; (*) sed in *ordine*, *brevitate*, *perspicuitate*, *securitate*, *vi* tandem, seu *efficacitate doctrinae.* (b) Hae quidem sunt Scholae virtutes: haec Scholasticae forma Theologiae: haec Scholasticorum tessera Theologorum. Nam ,,quem intelligimus Scholasticum Theo-,,logum? aut hoc verbum in quo homine ponimus? ,,Opînor in eo, qui de Deo, rebúsque Divinis aptè, ,,prudenter, doctè è litteris institutísque Sacris ra-,,tiocinetur. Nisi quis is sit, esse Theologum Scho-

,,lae

(a) *Eccli.* c. 38. v. 25.

(*) ,, Qui Theologi, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos ,, à Patribus terminos profana novitate transferre satagerent, ,, inanibus quaestionibus, ostentandi tantùm ingenii causâ, ,, excogitatis: ut videantur non Theodidacti, seu Theologi; ,, sed potiùs Theophanti.‘‘ *Gregor. IX. Epist. ad Parisiens. Magist.*

(b) *P. Uavassor. Orat.* 10.

„lae neminem, confitendum est.“ (*a*) Scholae igitur Dogmatica, Scholae Polemica, Scholae Moralia, Scholae Liturgica, Ascetica, Mystica, caetera demum Theologiae genera maximè peculiaria: quibus, tanquam materiis, suae illa quasi formam ordinatae tractationis accommodat.

At, etsi haec ita sunt, tamen Scholasticae, à plerísque quaestiones illae dicuntur, *quarum inscientia nihil periculi habet; error nihil habet criminis.* (*b*) De quibus nonnullas hocce loco conclusiones exhibere constituo; animum illuc intendens, ut extremis penitus devitatis, altero haereticorum communi, Scholam susque deque habentium, et calumniantium; altero vulgarium proprio Scholasticorum, nugis ac ineptiis indulgentium: medium illud *Nequid nimis*, à sapientissimo quoque probatum Theologo, patefaciam. Neque enim exterminandae sunt omnes; cùm sit tractatio non inutilis aliquarum: nec contrà plures movendae, quàm illae solummodo, quae Christianam deceant Theologiam. Paucis dicam iterum, quod antè dixerim fortasse non semel: mediocria haec sunt, ordinísque secundi, non primi: mediocritate igitur, secundísque dignanda; non primis, et summo. Sint porrò

DE SCHOLASTICARUM STUDIO quaestionum Conclusiones.

I. *SCholasticam*, legitimam videlicet, *Theologiam, quâ nihil Ecclesia Dei fructuosius, omni studio re-*

(*a*) *Can. L.* 8. c, 1.

(*b*) *Canus L.* 7. c. 5.

retinendam, *illustrandam*, *propagandam* Sedes ipsa Apostolica definivit. (*a*)

II. ,, Haereticorum insidiae, et diabolicae machi-,, nationes quibus, Sacra Theologia, quae Scholastica ,, appellatur, impetitur, de ejusmodi veritate nos ad-,, monent: nempe divino illius munere, qui solus ,, dat spiritum scientiae, sapientiae, et intellectûs, ,, à majoribus fuisse nostris, sapientissimis viris, in-,, ventam. (*b*)

III. ,, Scholastica facultas perquam utilis est ad ,, rectè disserendum de rebus, ad materiam religionis ,, spectantibus: ad stabiliendas sententias, quibus ni-,, tendum est: ad decidendas novas controversias, ,, quae passim insurgunt: ad enodandas aequivoca-,, tiones, paralogismos, et haereticorum sophismata: ,, ad conciliandos demum veterum exprimendi modos, ,, cum iis, qui nunc in Ecclesia usurpantur." (*c*)

IV. At eorum vitia Scholasticorum magnopere vituperanda sunt, et vitanda, ,, qui, postpositis, vel ,, neglectis necessariis, utilibus, et aedificativis doctri-,, nis; curiosis, inutilibus, et supervacaneis Philo-,, sophiae quaestionibus, et subtilitatibus se immis-,, cent: è quibus ipsius studii disciplina dissolvitur; ,, luminis ejus splendor offenditur, et studentium uti-,, litas impeditur." (*d*)

V. ,, Theologus omnis, de re supernaturali dis-,, putaturus; (nam haec illi propria disputatio est) ,, nomen Theologiae sécum ipse reputet; titulum ,, Theologi suum frequenter legat: sciátque, nullam ,, illi asciscendam esse quaestionem; nisi quae ad ve-,, ram, quae supra naturam est, Christi, Apostolo-,, rum, et Prophetarum Philosophiam referatur." (*e*)

VI. Meminerit insuper, ut à quaestionibus, quae

(*a*) *Sixtus V. Const. 77.*

(*b*) *Idem ibid.*

(*c*) *Mabillon. Stud. Monast. p. 2. c. 6.*

(*d*) *Joan. 22. Ep ad Theol. Paris. apud Natal. Alex. t. 8 H. E.*

(*e*) *Can. de Loc. lib. 12. c. 5.*

quae nullo pietatis fructu, nullo morum emolumento tractantur, abstineat; Isaiae illud: *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* (a)

VII. „ Stultissimum omnium fuerit, examini sub-„ jicere, quae mentem nostram transcendunt; et ten-„ tare intelligere, quae intelligi profectò non pos-„ sunt.“ (b) Scilicet *qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* (c)

VIII. Ejus, puto, generis sunt, ut de aliis taceam bene multis, nonnullae quaestiones, ad intuitionem Dei, visionémve, quae beatifica dicitur, spectantes: ubi ea, quae *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*, subtilissimè disputantur. (d) Quin etiam si vidisset quispiam, usque ad Caelum tertium raptus; celare tamen arcana tanta, et talia deberet: (e) *Etenim Sacramentum Regis abscondere, bonum est.* (f)

IX. Jam verò vanis, curiosísque disceptationibus prorsus explosis; sic de utilibus, nec inextricabilibus disputandum; ut in illis solvendis nervi corporis, et animi omnes neutiquam, *quod est valde ridiculum*, intendantur. (g)

X. Quamquam cum his, qui à fide aberrant, velis, equísque est, ut dicitur, decertandum: tamen vel haeretici ipsi non conviciis lacessendi sunt, figendíve maledictis; sed obruendi argumentorum multitudine, et pondere convincendi. (h)

XI. Etsi Apostoli praeceptio est, *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*: (i) tamen non ideo dictum est; ut, adversariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate ipsa, etiam in nominis quaestione, dicamus.

XII.

(a) C. 48. v. 17.
(b) *Cyril. Alex de fid. rect.*
(c) *Prov.* c. 25. v. 27.
(d) 1. *Cor.* c. 2. v. 9. *Et Isai.* c. 64. v. 4.
(e) 2. *Cor.* c. 12. v. 4.
(f) *Tob.* c. 12. v. 7.
(g) *Can. de Loc. lib.* 12. c. 5.
(h) *Nazian. Orat.* 26. *et* 32.
(i) 2. *Tim.* c. 2. v. 4.

XII. Nam est quaedam *logomachia*, seu verborum pugna, laudanda: cùm scilicet, num id, quod fides, rectáve ratio docet, vox indicet aliquaepiam, vestigatur. Testor controversias, de vocabulis *Homoousios*, *Theotócos*, *Hypóstasis*, caeteris tandem, exortas.

XIII. Nec verò etiam minutissima quaeque, modò talia sint, Theologus praetermittat. „ Nam si ex „ lege nec unum jota, nec apex unicus praeteribit: „ quomodo nobis tutum fuerit vel minima transilire? „ Quid, quod *Est*, et *Non* syllabae duae sunt: „ sed tamen bonorum optimum veritas; et extremus „ pravitatis terminus mendacium, frequenter hisce „ minutis voculis concluduntur? (*a*)

XIV. Sed aliae sunt fermè, vel prorsus de nominibus controversiae, *ex quibus oriuntur* inter Catholicos ipsos *invidiae*, *contentiones*, *suspiciones malae*, *conflictationes*, (*b*) penitus detestandae. (*)

Multus sim, si vitia, quae in Scholam, diabolo nequiter suggerente, homine stultè consentiente, Deo tandem justissimè patiente, hactenus irrepserint, universa commemorem. Itaque praecipuis enarratis, atque meritissima exilii perpetui damnatione multatis; modo praeterea illo, quem in Scholasticis merè quaestionibus mediocritas exigit, constituto: restat, ut de minimis, servilibus, accessoriis, si ita loqui liceat, doceamus. Jam, haec illa sunt externa subsidia, quae ab humanis disciplinis omnibus evocata, in

(*a*) *Basil. lib. de Spir. S. ad Amphiloc.* c. 1.

(*b*) 1. *Tim.* c. 6. v. 4.

(*) „ Intelligo etiam in Schola fuisse nonnullos, quasi ad discordiam natos; qui tùm optimè disseruisse se putant, cùm „ contra doctores dixerint; ut non tam verum invenisse „ velle videantur, quàm adversarios convincere, concertationibúsque et rixis totas chartas implere. Atque horum „ sunt in Ecclesia multi, qui tanquam milites auctorati vel „ tuentur, vel impugnant; et tota eorum de re Theologica „ disputatio partium studium est, contentio, atque dissidium.“ *Can. L.* 8. c. 1.

in Sacra Theologiae castra tandiu, ac eatenus recipiuntur; quamdiu, et quatenus sub religionis Catholicae signis, pro veritate, contra mendacium, oporteat, et expediat militare. Qua in re Scholastici non pauci multa peccârunt: qui suis inutilitatibus potiùs, quàm subtilitatibus prorsus addicti; ejusmodi eruditionem perinde, quasi puerorum naenias, imò quasi sacrilegam, Christianóque Theologo indignam, et inutilem, contempsêre. Quibus ecce ego sisto primum omnium Augustinum: (*a*) sisto deinde Clementem, Alexandrinae Ecclesiae Presbyterum: (*b*) sisto quoque Cappádoces Basilium, (*c*) et Amphilochium, (*d*) studium illiusmodi suadentes. Alios hìc praetereo testes pro causa nostra locupletissimos: sed Hieronymum testans, Patrum ferè neminem praetermitto.

Is enim in Epistola, Magno, Romano Oratori, de argumento hocce ipso conscripta, utriusque Ecclesiae Doctores, Orientis, et Occidentis, producit innumeros: quorum se confitetur exempla secutum. „Quod autem quaeris, *inquit*, cur in opusculis nostris saecularium litterarum interdum ponamus exempla; et candorem Ecclesiae ethnicorum sordibus polluamus: responsum breviter habeto. Nunquam hoc quaereres; nisi te totum Tullius possideret: si Scripturas Sanctas legeres: si interpretes earum, omisso Volcatio, evolveres. Quis enim nesciat, et in Moyse, et in Prophetarum voluminibus quaedam assumpta de gentilium libris: et Salomonem Philosophis Tyri et nonnulla proposuisse, et aliqua respondisse? Unde in exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiae, versutiásque verborum, parabolas, et obscurum sermonem, dicta sapientum, et aenigmata, quae propriè dialecticorum, et philosophorum sunt.“

Dein-

(*a*) *Lib. 2. de D. C. tot.*
(*b*) *Stromat. lib. 1. à p. 278.*
(*c*) *Serm. ad adolesc. de Stud. in Gentil lib.*
(*d*) *Ep. ad Seleucum.*

Deinde testatur Apostolum, Epimenidis, Menandri, Aratíque versiculos usurpantem: ,, didicerat, *subdens*, ,, à vero David, extorquere de manibus hostium gladium; et Goliae superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio, Domini voce praeceptum, mulieris captivae radendum ,, caput, supercilia, omnes pilos, et ungues corporis amputandos; et sic eam habendam in conjugio. ,, Quid ergo mirum, si et ego sapientiam saecularem ,, propter eloquii venustatem, et membrorum pulchritudinem de ancilla, atque captiva Israëlitidem ,, facere cupio? Et si quid in ea mortuum est, idololatriae, voluptatis, erroris, libidinum vel praecído, vel rado: et mixtus purissimo corpori, vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Neque ,, statim prava opinione fallaris, contra gentes hoc ,, esse licitum; in aliis disputationibus dissimulandum: ,, quia omnes pene omnium libri, exceptis his, qui ,, cum Epicuro litteras non didicerunt, eruditionis, ,, doctrinaéque plenissimi sunt." Haec Hieronymus: qui vir, et quantus!

Quare ineruditos illos homines, atque eruditionem, quam nesciunt, blasphemantes, (*a*) à Hieronymo ipso persuasus, exhortor: *ne vescentium dentibus edentuli invideant*; *et oculos caprearum talpae contemnant.* (*b*) At nec eorum studium probare possumus Theologorum, qui externis scientiae Divinae subsidiis se aut totos dedunt; aut diutius, et vehementiùs, quàm ipsorum deceat professionem. Quibus id certè contingit, ut, quò longiùs in prophanis litteris progrediuntur; eò magis regrediantur in Sacris. Caveat, quaeso, utrumque Academicus noster Theologus vitium: et suum rei cuique concedat studium. Adminicula tantùm illa sunt: tantùm igitur adminiculent. Mathematicus sanè Mathematicum agat; Philosophus Philosophum; Musicus Musicum; caeteri tandem cae-

(*a*) *Judas.* v. 10. (*b*) *Ubi suprà.*

caeteros reliquarum artium professores: at Theologus, disciplinarum omnium notiones adhibens opportunè; néve hunc, néve illum, néve alium; sed unum omnino Theologum. Quod ut ampliùs innotescat; sequuntur

DE STUDIO IN EXTERNIS THEOlogiae subsidiis Conclusiones.

I. NEC nullum in Sacra Theologia locum habet ratio naturae, nec primum: quorum illud Spinosistae; hoc Sociniani, cum Lutheranis, Calvinistísque, contuentur.

II. Tria veritatum genera Theologia complectitur Christiana: aliae, quae naturae lumine cognoscuntur: partim quae, tametsi naturaliter latent, patet nihilominus esse posse: tum quaedam ita sublimes, arcanae, difficiles; ut eas ratio non solùm assequi nequeat, verùm et sibi quodammodo videantur esse pugnantes.

III. Primi generis sunt, DEUM esse: ipsîus etiam attributa: multa demum moralis doctrinae principia. Secundi, Inferos existere, Purgatorium, Paradisum. Tertii, Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, caeteráque mysteria consimilia.

IV. Et primas quidem illas ratio demonstrat: secundas tamen, et tertias, totam se *in captivitatem redigens, in obsequium Christi*, (a) fide fulta, et freta, et tuta, complectitur.

V. Utatur ergo *ratione* Theologus, humanis disciplinis excultâ: primùm ad veritates, in principiis fidei implicitas, eruendas. Deinde ad fidem ipsam con-

(a) 2. *Cor.* c. 10. v. 4.

contra ejusdem adversarios defendendam. Postremò ad Ecclesiae doctrinam, quatenus fieri poterit, illustrandam; vel etiam ampliùs confirmandam.

VI. Discat cum Moyse, ac Daniele, Chaldeorum, Aegyptiorúmque sapientiam, de Magia videlicet, de observatione somniorum, de Astrologica divinatione: non ut sequatur, inquam: apage; sed ut judicare possit, refutare, convincere. Huncce locum Benedictus Pererius, Valentinus, tribus persecutus est libris, tomo singulari, octavo minore, contentis.

VII. Sapientia praestabilior eloquentiâ est.

VIII. Imò tantò magis insipiens eloquentia declinanda; quantò magis, suavitatibus illi propriis inescatus, in errorem auditor inducitur, maximè juventus incautior.

IX. Sapientia ineloquens salutaris: suavitatem namque, quam dicendo afferre non potest; probando tamen, supplere contendit.

X. Sapientia eloquens plùs certè, quàm ineloquens, prodest. Quae sanè, usque à septima, Augustini sunt omnes. (*a*)

XI. Eruditionem, ac eloquentiam Scriptura Divina commendat. Ibi enim legitur: *Fons vitae eruditio possidentis: qui sapiens est corde, appellabitur prudens; et qui dulcis eloquio, majora percipiet.* (*b*) Caetera persimilia. (*)

XII.

(*a*) *Lib.* 4. *de Doct Christ.* c. 5.

(*b*) *Prov.* c. 16. vv. 22. 23.

(*) Contra eos, qui à Theologia disciplinísque reliquis, eloquentiam arcent, haec Vivesius. ,, In hanc stultissimam, et pestiferam opinionem plerique adducti sunt; ut Philosophiam, ut Theologiam, ut reliquas artes incorrupto sermone tradi non posse credant. Si quid paullo cultiùs scriptum est, quodcumque sit ejus argumentum, illud (tam inscii, et stupidi sunt) non Philosophiam, non Theologiam, non Jus, non Medicinam, sed Grammaticam vocant.“ *In Pseudo-Dialecticos.*

XII. Nulla prorsus scripta sunt neu sapientiora, neu eloquentiora, divinitus inspiratis. (*a*)

XIII. Quamquam omnes eloquentiae humanae virtutes, atque ornamenta dicendi, in Sacris litteris reperiuntur; tamen illud magis admirandum, ibidem est, ac stupendum; quod sic eloquentiâ illâ, per aliam sibi propriam, scriptores Divini sunt usi; ut nec eis deesset, nec emineret in eis: propterea quòd eam nec improbari ab illis, nec ostentari scilicet oportebat. Res autem ita inibi proferuntur, quasi sapientiam de domo sua, id est, pectore sapientis, procedere intelligatis; et tamquam inseparabilem famulam, tametsi non vocatam, sequi nihilominus eloquentiam. (*b*)

XIV. Si à Philosophiae, Theologiaéque studio inutilia omnia resecentur; nullúsque in Academiam recipiatur, nisi mediocriter saltem rudimentis humanitatis imbutus: varia illa, et multiplex eruditio, Theologiae propria candidatis, in octo annos, triennium nempe Philosophicum, Theologicúmque quadriennium, vel quinquennium distributa, locum habet satis idoneum: vix eum deinceps, gravioribus negotiis, curísque recurrentibus, habitura.

XV. Ejusmodi *polymathias*, sive litteraturae multiplicis, in Auditore conatus saltem esse debet, et adumbratio: in Bacchalaureo mediocritas: in Doctore praestantia: in Professore, vel Gymnasiarcho, perfectionis summa dexteritas. *Francisci Roberti Polymathia*, *seu ad multiplicem scientiarum notitiam brevis*, *accuratáque methodus*, tribus octavis tomis expressa, percommoda.

DE

F

(*a*) *August. ibid.* c. 6. (*b*) *Idem ibid.*

DE FINE, IN THEOLOGICA exercitatione habendo,

CAPUT III.

DE Studio docuimus. Reliquum est, ut de Fine, qui Studium, et Ordinem longè praestat utilitate, dicamus. „ Nam si quis fuerit consummatus inter „ filios hominum ; ab illo autem sapientia tua, „ Domine, abfuerit; in nihilum computabitur." (*a*) Ergo „ Charismata aemulamini, *juvenes*, meliora: ad„ huc enim excellentiorem vobis viam demonstro: " (*b*) non cupiditatis quidem illam, non inertiae; sed solertiae, sed caritatis. Fac, quaeso, mi Theologe, te hominum, te Angelorum etiam loqui linguis: te prophetico spiritu afflatum: te cuncta nosse mysteria: te scientiam omnem, exceptâ nullâ penitus, possidere. Benè quidem habet: at, nisi caritatem habueris; factus es velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Imò nihil es: nihil tibi prodest; (*c*) caeteris parum. *Qui* enim *sibi nequam est*; *cui alii bonum eum futurum* putatis? (*d*) Sed multùm (addite, si voletis, etiam plurimùm) alios juverit scientia, caritate defecta: quid demum, mei juvenes, prodest homini, si, dum universum lucratur mundum, suae patiatur animae detrimentum? (*e*)

Jam verò multam locus iste postremus, eámque gravem, utilem, opportunam, de Theologici auditoris officiis; de virtutibus quoque, à se potissimùm exercendis; tùm de vitiis declinandis, doctrinam exposcit. En fateor: sed cùm ea, quae huc pertinent, documenta in medio sint posità; et oratio nostra paullo longiùs provecta sit, quàm proposita ratio postularet; relicta omni partitione, atque ordine hactenus observato, succedant protinus

DE

(*a*) *Sapient.* c. 9. v. 6. (*c*) 1. *Cor.* c. 13. (*e*) *Matth.* c. 16. v. 26.
(*b*) 1. *Cor.* c. 12. v. 31. (*d*) *Eccli.* c. 14. v. 5.

DE FINE STUDII THEOLOGICI
Conclusiones.

I. SECUM ipse recolat Theologiae candidatus, quid DEO debeat; quid sibi; quid Magistris; quid condiscipulis; quid denique veritati.

II. Nempe pietatem DEO; sibi sedulitatem; Magistris docilitatem; condiscipulis exemplum; amorem, subjectionémque veritati, ipsum debere, quis ambigat?

III. Vitia illi potissimùm declinanda, somnus nimius, gula, luxuria, nebulonum familiaritas, inconstantia.

IV. Virtutes verò maximè colendae, oratio, temperantia, castitas, modestia, observantia, cum sapientibus denique consuetudo.

V. En autem illîus, quâ ipse uti apud DEUM debet continenter, precationis et formam, et ordinem planè divina: *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.* (a) Scilicet vitae sanctitatem, discendi industriam, perspicientiam cognoscendi. Vel ut Hebraeus habet: *Tub, táham, vadáhath lammidéni: bonitatem, sensum, et cognitionem*: apertiùs, virtutem, captum, intelligentiam.

VI. Sapientia munditiem exigit cordis: quae lectione, meditatione, oratione, mortificatione denique comparatur.

VII. Talem, talem perquirito, mi Theologe, conscientiae rectorem; qualem à Basilio prolixè descriptum, tibi in pauca redigens, offero: nempe vitiis vacuum; virtutibus plenum, et doctorum scientiâ Sanctorum. (b) Quem profectò cùm videris, et inveneris; (invenies autem, si Dominum timeas) (c) *evigila*

ad

(a) *Psalm.* 18. v. 66. (c) *Eccli.* c. 6. v. 16.
(b) *Orat. de renunt. et abdic.*

ad eum; et gradus ostiorum illius exterat pes tuus: (*a*) quidquid superbus, et arrogans, et insipiens mundus obtrectet.

VIII. Caroli Musartii *Adolescens Academicus sub institutione Salomonis*, opusculum Theologicae juventuti, imò cuilibet studiosae, praecipuum.

IX. Accedit extrema positio, ex Clementis Alexandrini, omnium eruditissimi, (*b*) desumpta doctrinis. Tria igitur sibi ista nostras Theologus vendicat: contemplationem, mandatorum executionem, virorum bonorum effectionem. Quae sanè omnia concurrentia, Theologum complent: si quid autem desit ex illis, ejus claudicat Theologia. (*c*)

Quid jam verò mihi, Theologici juvenes, restat: postquam Ordinem, Studium, Finem in Theologicis exercitationibus observanda, eâ planè, quâ potui, brevitate, perspicuitate, gravitate, concinnitate proposui, exposui, firmavi: post faciem Theologiae venustissimam, si minùs expressam, at minimùm adumbratam; Theologíque, non tironis modò, sed etiam veterani, primas, et secundas, et tertias explanatas: nisi, ut vos enixè, ad ea omnia munia, et officia, pro uniuscujusque facultate, praestanda, et explenda, cohorter? Apostoli porrò doctrina est: *Qui se putat, aliquid scire; nondum scit, quomodo eum oporteat scire.* (*d*) Non ergo tam scientia ipsa, quàm sciendi modus probandus est: quippe in quo scientiae fructus, et utilitas à tanto, talíque Theologo constituitur. Quid ergo modum sciendi Paulus appellet, Bernardus exponit: ,, *ut*, inquiens, *quo ordine*, *quo studio*, *quo* ,, *fine* noscenda sint quaeque, noscamus. Quo ordi- ,, ne: ut id priùs; quod maturius ad salutem. Quo ,, studio: ut id ardentiùs; quod vehementius ad ,, amorem. Quo fine: ut non ad inanem gloriam, ,, curiositatem, avaritiam, ambitionem; sed ad sui aedi-

(*a*) *Ibid.* v. 36.
(*b*) *Hieron. Ep. ad Magnum.*
(*c*) *Lib.* 2. *Stromat.*
(*d*) 1. *Cor.* c. 8. v. 8

„aedificationem, quod prudentia quidem est; et ad „proximi deinde, quod caritas." (*a*) Videte igitur, ne Ordinem pervertentes; Studium convertentes; Finem, seu propositum, avertentes; oleum perdatis, et operam: sapientiam ex sapientiae domo, elapso studiorum curriculo, minimè reportantes. Est enim illa manifesta non multis; (*b*) sed his se tantùm, qui ipsam ádamant; et rectè, atque constanter perscrutantur, ostendit. (*c*) Date, obsecro, Theologiae operam, filii: non ut vocemini ab hominibus Rabbi; nec ut substantiam hujusce mundi fallacem, honorúmve praecipitem celsitudinem nanciscamini: est namque melior cunctis pretiosissimis sapientia; nec ei potest desiderabile quidpiam comparari. (*d*) Sed ut SOLUM DEUM VERUM, TRINITATEM scilicet beatissimam, in cujus cognitione aeterna vita est posita, cognoscatis, timeatis, fide, spe, caritate colatis, aliósque cólere doceatis. Ad extremum, estote Theologi: at non specie tenus, aut nomine; sed revéra, sed prorsus: Theologi, inquam, cogitatione, sermone, ac vitae ratione.

Faxit omnipotens, ut nedum festum diem illi agant cogitationum reliquiae nostrarum; (*e*) verbúmque bonum corda eructent nostra perpetuò: (*f*) sed etiam ipsi uni opera cuncta dicemus, donec vel ossa conclament: DOMINE, QUIS SIMILIS TIBI? (*g*) Utinam faxit! Sic enim, in caritate radicati, atque fundati, curremus; ut possîmus, duobus cognitionis, dilectionísque brachiis, comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit ejus latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum; qui excelsior caelo est, profundior inferno, longior terrâ, latior mari. (*h*) Scire etiam, supereminentem scientiae, caritatem Christi; ut in om-

(*a*) *In Cantica Serm.* 36.
(*b*) *Eccli* c. 6. v. 23.
(*c*) *Eccli.* c. 6. v. 28.
(*d*) *Prov.* c. 8. v. 11.
(*e*) *Psalm.* 75. v. 11.
(*f*) *Psalm.* 44. v. 1.
(*g*) *Psalm.* 44. v. 10.
(*h*) *Job.* c. 11. v. 8.

omnem Dei plenitudinem impleamur: (*a*) donec, revelatâ prorsus facie, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem, à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu, transformemur; (*b*) pérque vicos Caelestis Jerusalem Alleluia perpetuum concinamus. (*c*) Hoc demum pacto, quod cum omnibus, qui haec lecturi sunt, libenter ineam, perorabo: ut „ubi „ pariter certi sint, pergant mecum; ubi pariter hae- „ sitent, quaerant mécum; ubi errorem suum cognos- „ cant, redeant ad me; ubi meum, revocent me:" (*d*) non solùm ab Ecclesia, sed à sapiente, imò et insipiente quolibet, si modò rectè admoneat, corrigi paratissimum. Quo caritatis viam simul ingressi; ita *in domo Dei ambulabimus cum consensu*; (*e*) ut ad eum ipsum, de quo scriptum est, *quaerite faciem ejus semper*, (*f*) amicissimè contendamus.



(*a*) *Ephes.* c. 3. vv. 18. 19.
(*b*) 2 *Cor.* c. 3. v. 18:
(*c*) *Tob.* c. 13. v. 22.
(*d*) *August. lib.* 1. *de Trin.* c. 3.
(*e*) *Psalm.* 54. v. 15.
(*f*) *Psalm.* 104. v. 4.

Gentem Dei [illegible] implevimus (a) donec, revelatâ omnes facie, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu, transformemur; (b) pérque viros Coelestis Jerusalem [illegible] perpetuum [illegible] (c) Hoc [illegible] quod [illegible] haec [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] non solum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]



(a) Ephes. c. 4. v. 13. (b) 2 Cor. c. 3. v. 18. (c) Ibid. [illegible]
(d) [illegible] (e) Psalm. [illegible] (f) Psalm. [illegible]



